



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. In quibus casibus non requiratur necessariò ad specialem inquisitionem contra personam particularem de aliquo crimine, ut præcedat illius infamia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ab administratione tantum amovendum, nisi delicti ratio, & infamationis periculum aliud jubeat.

§. IV.

In quibus casibus non requiratur necessarium ad specialem inquisitionem contra personam particularem de aliquo crimine, ut precedat illius infamia?

Primò non requiritur hæc præcedens, de aliquo particulari, infamia, si alia sufficientia, & legitima indicia contra eum pugnent, talia enim indicia sæpè fortiora sunt, quam ipsa præcedens infamia, ex levioribus sæpius conjecturis orta. Secundò non requiritur, si fiat inquisitio ad denuntiationem publici Officialis. Tertio, si pars, contra quam fit inquisitio, sine ulla præcedente infamia, aut contra quam à Principe fieri mandatur motu proprio, aut ex certa scientia, inquisitio, nihil opponat, nec reclamet, cum tamen sciat, contra se fieri inquisitionem, quia censetur talis favori pro se principaliter introducto, cedere, ut disponitur in c. 6. Si is, h. r. in 6. Quarto, quando inquisitio fit non ad effectum puniendi crimina, sed ad effectum corrigendi ob bonum animæ, qualiter fieri solet in visitationibus, in Episcoporum promotionibus, in ordinandis, &c. Quintò, quando inquisitio fit in crimine læsæ majestatis, in crimine hæresis, & in similibus gravibus, & periculosis criminibus, in damnum grave Reipublicæ, aut animarum tendentibus, &c.

§. V.

Quenam præterea jure Canonico statuta sint circa modum procedendi per inquisitionem specialem?

Primò statuitur in c. Qualiter 17. h. r. ut ordo juris in inquisitione servetur, qui in duobus potissimum consistit, primò, ut regulariter non fiat inquisitio, nisi contra infamatum, ut prioribus §§. dictum. Secundò, ut postquam de infamia constat, per testes, publicam famam, aut alia sufficientia indicia, &c. inquiratur de veritate criminis, ut ne scilicet inde nascantur injuriæ, unde jura nasci oportet.

Secundò statuitur in c. Cum dilecti 18. h. r. ut non recipiantur excusationes super confessione facta, si juravit prius confitens, quòd plenam & meram veritatem sit dicturus; recipiantur verò super confessis excusationes, si juravit tantum confitens, quòd velit ad interrogata respondere, & excusationes tales non perimant confessionem, sed eam tantum explicent, & declarent; cum juramentum religio in posteriori casu patiatur Confessorum explicationem, non autem in priore casu, ubi ab initio statim omnis veritas dicenda est.

Tertio statuitur in c. Cum oporteat 19. h. r. quòd inimici partis, contra quam fit inquisitio, sicuti ad accusandum non admittuntur, ita nec admittendi sint ad inquisitionem prosequendam, & testificandum; & cui simpliciter commissa est inquisitio super crimine, illi (tacite saltem) commissa etiam censeatur inquisitio super fama, quæ quasi præambula